

titulo societatis, utpote per secundum & tertium contractum destructæ, sed titulo mutui, specioso societatis nomine palliati, hoc lucrum percipere. *Pontas.*

CASUS XXXI. Quidam in societatem confert pecora, An cautionem fortis suæ exigere potest?

R. Absque usura non potest; nec etiam aliud lucrum ultra id, quod sibi competit, vi societatis exigere potest absque usura. Illi, qui ejusmodi lucrum perceperunt bona fide, ignorantes id non licere, tenentur restituere, si per hoc ditiores evaserunt; non tenentur autem restituere, si perceptum lucrum bona fide consumperint. *De Lamet.*

Vide *Mutuum. Usur.*

SOLUTIO DEBITI.

1. *Solvere debitum in sensu suo naturali ac obvio nū aliud est, quam dare alteri, quod ipsi quomodocumque debetur.*

2. Debita sunt varii generis ac naturæ: alia enim sunt privilegiata, alia hypothecaria; & hæc vel simplicia vel chirographaria. Pro omnibus his debitis expungendis & solvendis extant determinatæ leges, tum ut secure solvantur, tum ne quis indebitum, aut bis cogatur solvere idem debitum.

CASUS I. Landradus cum debitis formalitatibus commisit Gratiano procuracionem pro urgenda solutione complurium summarum pecuniarum a variis sibi debitarum; sed post mensem revocavit hanc procuracionem. Gratianus autem interea recepit 300. florenos a Joanne Landrado debitos. Estne Joannes jam liber a debito, quo Landrado obstringebatur, & quidem etiam pro foro interno?

R. Si Joannes habuit notitiam revocatæ procuracionis, male solvit, nec est liberatus a debito. Si vero penitus ignoravit factam revocationem, & bona fide tradidit dictam summam Gratiano, existimans, eum adhuc esse procuratorem Landradi, ipsi Landrado solvisse, & tam pro foro interno quam externo a debito ulteriori liber censendus est: culpa enim Landradi est, quod Joanni debitori suo non declaraverit revocationem datæ Gratiano procuracionis, cui nihil solvisset prius commonefactus. *Sed & si quis mandaverit, dicitur Leg. Vero. 12. §. 2. ff. Lib. 46. Tit. 3. ut Titio*

Titio solvam, deinde vetuerit eum accipere; si ignorans prohibuit eum accipere, solvam, liberabor, sed si scivero, non liberabor. Pontas.

CASUS II. Andreas pluribus disparatis debitis obligatur Titio, quorum tota summa conficit 900. florenos; debet scilicet 300. florenos, pro quibus hypothecam constituerat domum suam; 200. florenos sub cautione cujusdam amici; denique 400. florenos, ex quibus annuus census præstandus. Solvit jam Andreas 450 florenos, sine declaratione tamen, ad quænam debita determinate hæc solutio referenda sit. Titius post lapsum temporis petit ab Andrea annuum censum ex 400. florenis, quem negat Andreas, debitum censuale præstita solutione 450. florenorum jam expunctum reponens. Cuinam horum favet causæ æquitas?

R. Favet Andreae, & petitio Titii iniqua est: quando enim debitor disparatas summas debet creditori, illius optioni relinquatur ac arbitrio, quamnam prius velit expunctam; quin creditori jus competat recusandi solutionem; dummodo sit integra. Et si determinatum non fuerit, ad quod debitum referenda sit solutio, certum tamen est, debitorem eam tacite retulisse ad illud, quo magis gravatum se sensit. Et id conforme esse videtur æquitati naturali. Id ipsum quoque deciditur Leg. *Quotiens. 1. ff. Lib. 46. Tit. 3.* ubi dicitur: *Quotiens quis debitor ex pluribus causis unum debitum solvit, est in arbitrio solventis dicere, quod potius debitum voluerit solutum, & quod dixerit, erit solutum: possumus enim certam legem dicere ei, quod solvimus . . . æquissimum enim visum est, creditorem ita agere rem debitoris, ut suam ageret.* Supponitur autem, census annuos jam omnes prius fuisse solutos: solutio enim ad summam principalem referri nequit, quamdiu census annui anteriores necdum fuerunt persoluti. *Pontas.*

CASUS III. Propertius mercator solvendi impotens præfert aliis creditoribus consanguineum suum, qui ex credito numero est. An licite?

R. Si reliqui creditores convenerint cum debitore, & parte solutionis, quam offert, contenti sint, creditor consanguineus poterit accipere ac retinere valorem crediti: tunc enim creditores censentur remississe debitori, quidquid bonorum superest; de quibus proin disponere poterit pro libitu in favorem sui consanguinei, ipsi solvendo integrum debitum. *Fromageau.*

NOTA. Si summa confanguineo debita conficeret notabilem debitorum partem, ex cujus subtractione finguli vel aliqui creditorum parerentur respective magnam jacturam, intentio condonantium creditorum se eousque non extenderet. Hinc ejusmodi casus perito confessorio relinquendi, & juxta præsumptam singulorum creditorum intentionem ex æquo resolvendi sunt.

Vide *Debita. Juramentum. Promissio.*

SOMNIUM.

Somnium est motus imaginationis, qui sensibus dormientis repræsentat objectum cum aliqua impressione juxta naturam rei repræsentatæ; rei imaginatæ simile, & aliquam impressionem relinquens; & hæc impressio quandoque tam vehemens est, ut homo, licet penitus somno obrutus, obstupefcat, ac exhorrescat. Somniorum causa quandoque alia non est, nisi dispositio temperamenti; quandoque etiam somnia oriuntur ab objectis, quibus imaginatio hominis in die vehementer affecta est: somnia ortum suum habere quoque possunt a malitia dæmonis malos per ea sibi proponentis fines. Aliquorum somniorum etiam Deus auctor fuit, uti somni Jacob. Joseph &c. Pleraque somnia, exceptis iis, quorum Deus auctor est, sunt vanæ & inanes idæ, quibus nulla adstruenda fides est.

CASUS I. Marsilius cum sæpius expertus esset, ea, quæ ipsi in somniis repræsentabantur, postea evenisse, incipit somniis fidem adstruere, & ea diligentius observare, ac interpretari, ut tali modo eventus, quos timet, aut desiderat, prævidere possit. An talis divinatio peccaminosa est?

R. Dantur quatuor diversæ somniorum species, quorum aliqua bona, & aliqua mala sunt. 1. Quædam somnia juxta D. Thomam 2. 2. q. 95. art. 6. C. immittit Deus per ministerium angelorum, ut sunt ea, quæ sacræ paginæ commemorant. 2. Dantur somnia, quæ solum a dispositione temperamenti proveniant, suntque pure naturalia; ex quibus medici quandoque varias desumunt conjecturas de interiori constitutione somniantis. 3. Somnia non nulla oriuntur ex inclinationibus, cogitationibus ac studiis, quibus homo per diem sæpius & intensius occupatus erat: *Multas curas sequuntur somnia*, dicitur Eccles. 5. v. 7. 4. Denique somnia quandoque per operationem ac fraudem dæmonis ingernuntur juxta S. Augustinum Epist. 9. alias 125. n. 3. Ex his patet, somnia oriri posse ex diversis causis; & cum tam facile cognosci haud possit, ex qua proveniant, nullam eis adstruendam esse fidem. Hinc si Marsilius serio existimat,

per

per somnia posse prævideri faturos eventus casuales, bonos & malos, reus est divinationis superstitiosæ a sacra Scriptura, Conciliis & SS. Patribus condemnatæ. *Pontas.*

NOTA. Quando somnia, nec postulata, nec expectata a Deo, consistunt in repræsentatione symbolica ac consolatoria eorum, quæ homini in bivio salutis constituto imminet, eumque cum clara symbolisationis explicatione manifeste ad bonum dirigunt, ea Deo veniunt.

CASUS II. Lactantius, homo alias castissimus frequenter habet somnia prorsus castitati contraria, & videtur ipsi etiam in altissimo somno, se committere actiones turpissimas. An non saltem venialiter peccat?

R. Dæmon multorum malorum somniorum auctor est; interim tamen eorum effectus in imaginatione producti de se non sunt peccaminosi, nisi eis consentiatur. *Pontas.*

NOTA. Possunt etiam esse peccaminosi in causa, si quis de die per obscenos sermones, aspectus, lectiones, cogitationes &c. causam culpabilem præbuit; vel si quis post evigilationem se in iis cum morosa delectatione detineat.

Vide *Superstitio.*

SPICILEGIUM.

CASUS. Habentne pauperes jus spicas colligendi post messem?

R. Lex Levitici, quæ Judæis præcipiebat, ut, quæ superessent in agris post messem, spicas relinquerent in bonum pauperum, spectabat ad legem judicalem, quæ Christianos non obligat quidem, his tamen ob oculos ponit, misericordiam exhibendam esse pauperibus. Si consuetudo, aut lex aliqua particularis in regno quodam aut provincia idem statueret, pauperes citra injustitiam impediri non possent a colligendis spicis. Posset Episcopus in ejusmodi regno aut provincia edita constitutione hujus injustitiæ auctores ad compensationem adigere, ac, si forte reluctarentur, prohibere, ne a confessoribus absolvantur. Pauperi quidem, si strictè loquamur, ad segetum reliquias post messem colligendas accedenti, nullum veri nominis jus in easdem competit; sed eo tamen jure gaudet, ne vel metu, vel vi, vel fraude eas colligere prohibeatur. *Fromageau.*

SPON.

SPONSALIA.

1. *Sponsalia* de futuro sunt promissio inter duas personas habiles ad contrahendum de futuro matrimonio. Dicitur inter personas habiles ad contrahendum; nam requiritur 1. *Ætas* competens, scilicet ætas ad minimum septem annorum. 2. Præter hanc ætatem usus rationis sufficiens. 3. Ut non interveniat impedimentum dirimens aut aliud, quod non nisi per dispensationem tolli potest. His non concurrentibus invalida forent sponsalia.

2. Sponsalia contrahi possunt inter personas puberes aut impuberes, absolute vel conditionate; dummodo conditiones sint possibiles, licitæ & honestæ.

3. Cum matrimonium absolute liberum esse oporteat, non licet desponsatis convenire de multa pecuniaria præstanda a parte filiente. Ejusmodi pacta a legibus canonicis æque ac civilibus improbantur.

4. Impuberes a suis parentibus desponsati jus habent reclamandi contra sponsalia, dum attigerunt annos pubertatis, nimirum annum duodecimum completum respectu feminarum, & decimum quartum respectu masculorum. Dum una pars nondum attingit pubertatem, pars altera expectare debet, donec attingat, ut desistere possit a sponsalibus; & tunc, quando utraque pars pervenit ad annos pubertatis, una pars renunciare poterit sponsalibus altera etiam invita. Quando puber & impuber, aut duo impuberes contrahunt per verba de præsentibus, & congregandi potentia in eis non supplet ætatem, eorum præsumptum matrimonium vim habet verorum sponsalium, & parit impedimentum dirimens publicæ honestatis. Verum a tempore Concilii Tridentini id non fit per matrimonium clandestinum, aut contractum cum consensu ficto; cum sponsalia esse non possint sine vero consensu.

5. Sponsalia etiam juramento firmata dissolvi possunt 1. mutuo sponzorum consensu. 2. diuturna nimis, trium scilicet annorum alterutrius absentia. 3. per ingressum alterutrius in Religionem. 4. per receptionem sacri Ordinis. 5. per matrimonium valide, etsi illicite, contractum cum alia persona. 6. per fornicationem alterutrius; in quo casu solum pars innocens renunciare potest sponsalibus. 7. superveniente impedimento dirimente. 8. superveniente deformitate aut infirmitate notabili ac stabili; idem dicendum, si superveniat magna Religionis, honoris aut bonorum mutatio. 9. superveniente capitali inimicitia inter sponfos.

CA-

CASUS I. Eligius filiam suam anno ætatis sexto cum dimidio desponsavit Joserho, qui ejusdem erat ætatis. An sponsalia sunt valida? Potestne peccari mortaliter contrahendo sponsalia ante hanc ætatem?

R. Quoad 1. Regulariter loquendo hæc sponsalia sunt ipso jure nulla; quia desponsati necdum compleverunt annum ætatis septimum, saltem nisi ambo ea rationis ac judicii maturitate polleant, aut possint dignoscere, ad quod se obligent. Ita Alexander III. & Innocentius III. Idem sentiunt S. Antoninus & S. Thomas. In sponsalibus, hic ait, in 4. dist. 27 q. 2. art. 2. ad 7. si appropinquant contrahentes ad tempus septennii, contractus sponsalium habet robur --- Hæc autem propinquitas a quibusdam determinatur tempus sex mensium; sed melius est quod determinetur secundum conditionem contrahentium, quia in quibusdam magis acceleratur rationis usus quam in aliis. Quoad 2. Mortaliter peccant tam liberi contrahentes ante annum ætatis septimum completum, si habeant sufficientem notitiam de præcepto Ecclesiæ, quam parentes, qui liberos sic desponsant. Nihilominus cum rarissime liberi ante hanc ætatem habeant sufficientem notitiam, & parentibus quandoque suppetant urgentissima motiva præveniendi tempus a legibus præscriptum, dici potest, in hoc casu non peccari mortaliter. *Distidius inhibemus*, inquit Nicolaus I. ne aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem legibus vel Canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur, nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote bono pacis talis conjunctio toleretur. Pontas.

CASUS II. Briandus & Gabriela conjuges filium suum sex annos & quatuor menses natum desponsarunt Ludovicæ. Teneturne filius, postquam annos discretionis attingit, ratihabere hæc sponsalia suo nomine a parentibus inita? Licetne reclamare contra illa?

R. Non tenetur ea ratihabere; & 8 annos discretionis assecutus ea nec expresse nec tacite confirmavit, absque ullo peccato iisdem renunciat. Pontas.

Vide cas. 1.

CASUS III. Joannes & Maria septennium ætatis quidem excedentes, sufficiente tamen usu rationis necdum pollentes a suis utrinque parentibus desponsati sunt.

R. Sponsalia hæc sunt invalida: non enim ætas constituit valorem sponsalium, sed legitimus consensus, qui præsumi non potest in infantibus evoluti rationis usu necdum gaudentibus. Juxta D. Thomam ad contrahenda valide sponsalia amplius requiritur ratio quam ad committendum peccatum mortale. Pontas.

CA-

CASUS IV. Vitellus & Fulvia desponsati sunt decimo & undecimo ætatis anno. Fulvia autem pubertatem adeptam revocat promissionem suam, quin ullam revocationis causam alleget.

ꝛ. Fulvia absque peccato potest agere apud iudicem ecclesiasticum pro dissolutione sponsalium, & iuste eam impetrat. Idem declarat Alexander III. addita hac exceptione: *nisi carnalis commixtio ante intervenerit, cum interdum illa tempus anticipare soleat pubertatis.* Id ipsum docet S. Thomas. *Pontas.*

CASUS V. Angelica anno ætatis octavo Bernardo desponsata revocavit promissionem suam undecim annos nata; pubertatem vero adeptam non confirmavit revocationem.

ꝛ. Revocatio est nulla, nullumque parit effectum; nisi post pubertatem confirmata fuerit: ut enim ejusmodi revocatio post adeptam pubertatem subsistat, necesse est, ut saltem tacite renovetur; & ita quidem, ut alteri parti innotescat mutatio voluntatis.

NOTA. Videtur ex Decretalibus Alexandri III. erui posse, eo tempore sponsalia impuberum dissolvi haud potuisse absque autoritate iudicis ecclesiastici, cum desponsati post adeptam pubertatem resistere vellent. Modo autem ejusmodi sponsalia solvuntur absque autoritate iudicis per solum mutuum consensum partium. C.A.

CASUS VI. Marcellus & Cæcilia undecim annos nata parentibus desponsati sunt, promissumque futuri matrimonii juramento confirmarunt.

ꝛ. Hoc promissum absque peccato revocari non potest. Alexander III. sic desponsatos etiam censuris ad implendum promissum compellendos esse censuit. Successor tamen ipse Lucius III. rigorem hunc moderatus est. *Cum libera debeant esse matrimonia, ait hic Papa, monenda est potius (sponsa) quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere, scandalosus scilicet perturbationes, inimicitias ac implacabilia odia inter coactos ad matrimonium.* *Pontas.*

NOTA. Hoc juramentum ob imperfectionem iudicii, ac proinde ob dubietatem de valore potest a confessariis privilegiatis commutari.

CASUS VII. Paschalis & Agatha sponsalia inierunt anno ætatis decimo octavo & vigesimo. Terenturne sub peccato mortali mutuam promissionem implere contrahendo matrimonium, si nulla eximat eos legitima excusatio?

ꝛ. Ut promissum in sponsalibus factum obliget, requiritur regulariter loquendo, ut sit voluntarium, reciprocum, acceptatum, & signo externo declaratum. Si igitur sponsalia

salia Paschalis & Agathæ fuerunt valida, & ab utroque bona fide inita, tenentur sub peccato mortali exequi promissum per contractum matrimonialem: omnis enim promissio facta cum libertate ac deliberatione in materia honesta, licita & magni momenti obligat in conscientia promittentem ad executionem promissi. Veritas hujus principii adeo nota est, ut nationes etiam barbaræ in eo conveniant, eosque, qui promissi fidem violant, ut inimicos societatis civilis detestentur. Cum ergo matrimonium sit res honesta, licita, & maximi momenti, graviter peccat resiliens absque legitima causa. Et hæc est unanimes Doctorum sententia. *Ex tali promissione, inquit S. Thomas, obligatur unus alii ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non solvens promissum.* in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. ad 2. *Pontas.*

CASUS VIII. Hieronymus desponsatus est Justinæ ex metu gravi cadente in virum constantem; coactus insuper fuit juramento confirmare promissionem matrimonii. Suntne valida hæc sponsalia in foro interno conscientiæ?

ꝛ. Non convenit hac super re inter Doctores. Aliqui putant, sponsalia hæc esse valida; quia datur obligatio implendi juramentum quodcumque demum, si absque peccato impleri potest: Hieronymus autem potest implere juramentum sine omni offensa Dei; tenetur ergo in conscientia ducere Justinam. Alii tumentur oppositum, & quidem cum majori probabilitate, dicuntque, sponsalia hæc una cum adjecto juramento confirmatorio esse nulla: matrimonium enim ex metu contractum, & votum Religionis ex metu emissum sunt invalida, cur non & sponsalia? Insistendo præcise juri naturali sponsalia ex metu gravi cadente in virum constantem inita non sunt pleno jure nulla; quia consensus etiam ex metu datus adhuc est voluntarius; possunt solum irritari a iudice ecclesiastico. Verum insistendo juri positivo, probabilius hæc sponsalia sunt invalida pleno jure; quia sunt invalida vi juris Canonici. Sic sentiunt Doctores celeberrimi fundati autoritate Urbani VIII. Episcopo Pisano præcipientis, ut in simili casu desponsata ex metu permittat matrimonium contrahere, quocumque demum ipsi libuerit. Quia tamen hæc doctrina non est indubitato certa, consultum erit, ut pars metum passa & resiliere cupiens se convertat ad iudicem ecclesiasticum, qui declaret, metum fuisse gravem & sufficientem ad annullanda sponsalia; aut petat ab Episcopo dispensationem a juramento. *Pontas.*

CASUS IX. Tigia a patre suo desponsata fuit Camillo, consentiens quidem, sed solum ex metu reverentiali erga patrem.

trem, quem valde durum vehementemque esse sciebat. Jam promissum suum retractare cogitat. Num licite?

ꝑ. Potest dici, eam excusari a peccato, saltem in foro interno, si non impleat promissum ex solo timore severitatis paternæ factum. Puella fortius ac facilius movetur metu quam vir. *Minor metus*, ait Glossa, *magis excusat feminam, quam virum*. Timor reverentialis juxta Navarrum proxime accedit in puella ad metum gravem. *Pontas*.

CASUS X. Ambrosius iniit sponsalia cum Paula in præsentia parochi & utriusque parentum. Paula autem, cum consensisset solum externe, recusat implere fictam hanc promissionem, & confitetur. Quid agendum confessario?

ꝑ. Licet Paula non teneatur præcise vi sponsalium ad exequendum promissum, quod implendi nunquam intentionem habuit, tenetur tamen in conscientia ratione fraudis ac injuriæ Ambrosio illatæ, aut scandali, quod ex ipsius recusatatione oriretur. Hinc si ad executionem promissi adduci non potest, tenetur saltem convenire cum Ambrosio de justa compensatione, quam illi debet, si exigat. Ad alterutram harum obligationum Paula necessario adigenda est a confessario. *Quamvis simulator*, inquit Sylvius, *non obligatur vi sponsalium, quæ nulla sunt, obligatur tamen ad contrahendum vel ad componendum cum persona, cui illud, tum propter injuriam ei factam, tum propter scandalum*. *Pontas*.

CASUS XI. Victorius cum Maria ejusdem secum conditionis ac fortunæ iniit sponsalia, fictæ, ac ea solum intentione, ut facilius cum ea peccare posset, promissionem autem nunquam executurus. Oritur obligatio ex his sponsalibus?

ꝑ. Si Victorius corripit puellam, & ea exinde contraxit infamiam, nec aliam damni compensationem acceptare velit, Victorius absolute & in conscientia tenetur eam ducere, licet sponsalia ex defectu veri consensus sint nulla. Et ab hac obligatione nullatenus eximi potest. *Pontas*.

CASUS XII. Attilius, postquam jam emiserat votum perpetuæ castitatis, contrahit sponsalia cum Julitta, eaque juramento confirmat.

Votum ab Attilio emissum reddit sponsalia illicita simul ac invalida; & ideo non potest exequi promissionem matrimonii, sed stricte tenetur servare votum, & agere pœnitentiam de juramento temerarie ac injuste addito. Sic sentit S. Antoninus nixus autoritate S. Augustini, qui ait: *juramentum non ob hoc fuisse institutum invenitur, ut esset vinculum iniquitatis seu cujuscumque criminis*. Idem declaravit Cœlestinus III. *Pontas*. Vide *Fornicatio* Cas. 6.

CA-

CASUS XIII. Julianus sponsalia iniit cum Ursula. Postestne tuta conscientia emittere votum castitatis perpetuæ, & sic se eximere ab obligatione sponsalium?

ꝑ. Utraque sententia, negativa & affirmativa suos numerat auctores. Nos tuemur affirmativam: promissio enim matrimonii semper censetur fieri sub hac conditione tacita: *nisi Deus me ad sanctiorem vitam statum vocaverit*. Si votum præcessit sponsalia, ea sunt invalida; si vero votum subsequitur sponsalia, causa datur sufficiens ea dissolvendi. Dum concurrunt duæ obligationes impossibiles, juxta S. Thomam ea adimplenda est, quæ fortius ligat; fortius autem ligat, & longe major est obligatio voti erga Deum, quam obligatio sponsalium erga puellam; quia votum simplex non minus obligat erga Deum quam votum solemne. *Pontas*.

CASUS XIV. Rutilius desponsatus Paulinæ peccavit cum consanguinea sponsæ in tertio gradu.

ꝑ. Affinitas per hoc peccatum contracta non dirimit sponsalia; cum Concilium Tridentinum hoc impedimentum restrinxerit ad secundum gradum. *Pontas*.

CASUS XV. Hugo desponsatus Theresiæ, ne eam ducere teneretur, studio & ex mera malitia contrahit impedimentum dirimens peccando cum matre aut sorore sponsæ.

ꝑ. Coram Deo non tollitur per hoc obligatio sponsalium, teneturque Hugo, quantum potest, resarcire damnum illatum, petendo scilicet dispensationem ab impedimento, eaque obtenta ducere Theresiam; quam si impetrare non possit, tenetur alla ratione sufficientem compensationem præstare judicio viri prudentis. *Pontas*.

CASUS XVI. Lucianus Marcellinæ desponsatus est. Jam rumor publicus ac communis spargitur eum peccasse cum sorore Marcellinæ, quæ & ipsa id comperit.

ꝑ. Marcellina tuta conscientia potest resilire. Immo si in hisce circumstantiis nuberet Luciano, voluntarie sese exponeret periculo contrahendi matrimonium invalidum, quod absque gravi peccato fieri non posset. *Pontas*.

CASUS XVII. Optatus iniit cum Rosa sponsalibus contrahit postea matrimonium de præsentibus cum Isabella.

ꝑ. Peccavit mortaliter: matrimonium tamen est validum, licet nullam habuerit rationem priora sponsalia dissolvendi. Ita declararunt Innocentius III. & Gregorius IX., qui ait, reo imponendam esse pœnitentiam delicto proportionatam. In hoc casu pars innocens manet libera, quin necesse sit, ut sponsalia judicialiter declarentur irrita; cum ipso jure sint nulla; potest etiam a parte absque legitima causa resiliente petere compensationem damni. *Pontas*.

li 2

CA.

CASUS XVIII. Theophrastes desponsatus Catharinæ contra datam ipsi fidem duxit Antoniam. Ea post mensem mortua tenetur Theophrastes viduus ducere Catharinam adhuc coelibem?

ꝛ. Non tenetur ad hoc vi sponsalium, quæ per matrimonium cum Antonia ipso jure facta sunt nulla; tenetur tamen vi obligationis naturalis ortæ ex promisso priori, quod per contractum matrimonium tantum suspensum denuo reviviscit sublato impedimento. Ita sentit Sylvius; potestque probari exemplo illius, qui solemniter professus est Religionem sine consensu uxoris suæ; hic mortua uxore non potest ducere aliam, sed tenetur implere votum suum, cujus obligatio non fuit penitus extincta, sed tantum suspensa, ut declarat Alexander III. *Pontas.*

CASUS XIX. Posito, quod sponsalia Theophrasten inter & Catharinam fuerint clandestina, num & ista memoratam in casu præcedente obligationem inducunt? Et in genere loquendo obligantne sponsalia clandestina sub peccato mortali, ut publica ac solemnia, ad ineundum matrimonium, ubi non datur causa legitima exemptionis ab hac obligatione?

ꝛ. Sponsalia clandestina æque sunt valida ac publica ac solemnia, eandemque inducunt obligationem. Nullatenus tamen sunt consulenda aut in praxin deducenda. Congregatio Cardinalium Concilii interpretum declaravit, Tridentinum solum irritasse matrimonium clandestinum, nil decidendo circa valorem sponsalium clandestinorum. In Gallia non censentur valida sponsalia clandestina nisi scripto facta; id ni factum fuerit, non admittitur in iudiciis ulla probatio. *Pontas.*

NOTA. In Bavaria paucis abhinc annis varia constituit Princeps circa sponsalia maxime clandestina, sed invitis Episcopis; ita ut causa hæc necdum ex integro sit composita. Certum sane est, ex sponsalibus clandestinis, quæ in scis parentibus, tutoribus aut curatoribus, prava plerumque intentione, in angulis, in ipso actu peccaminoso aut occasione ejusdem contrahuntur, incentivum scaturire plurimum peccatorum, contristationem parentum, discordias ac inimicitias in familijs, scandala in communitatibus, multiplicationem processuum, quibus obruuntur Consistoria; ac demum infelicissima matrimonia. Hinc summopere conduceret ad bonum tam spirituale quam temporale subditorum, si Principes concorditer cum Episcopis absque ulla restrictione ut nulla declararent promissa ejusmodi tenebrosæ, nullamque sic desponsatis in iudicio actionem permitterent. Sic & cessaret obligatio naturalis, quam alias parit quodvis promissum honestum ac licitum; cum subtracta ipsi materia subsistere jam non posset: lex enim naturalis nunquam obligat ad inhonestam, illicitam, justisque humanis legibus oppositam. Ad hæc in-

inignes Theologi docent, liberos in scis aut invitis parentibus sese desponsantes semper peccare mortaliter; cum id fieri non possit sine gravissimo contemptu parentum, quos & Deus & natura in re tanti momenti ipsis dedit consiliarios.

CASUS XX. Cajetanus & Magdalena interunt sponsalia; Cajetanus vero ex mera inconstantia datam fidem violat & ducit Bertam; quo facto & Magdalena nubuit Joanni. Post aliquot menses Joanne & Berta mortuis num Cajetanus viduus, qui primus fidem fregit, tenetur in conscientia ducere Magdalenam viduam?

ꝛ. Quidam Authores tenent affirmativam. Negativa autem videtur probabilior; quia ambo matrimonium contrahendo renunciarunt obligationi suæ ac juri reciproco. Obligatio autem juxta Glossam semel extincta nunquam reviviscit. *Pontas.*

NOTA. Non bene hæc cohærent cum responsione data ad casum 18.

CASUS XXI. Vincentius septemdecim annos natus & Sebastiana quatuordecim annorum, ambo ejusdem conditionis, sibi invicem promittunt matrimonium in præsentia parochi, sine consensu tamen parentum suorum. Tenenturne in conscientia exequi promissum, maxime secuta fornicatione?

ꝛ. Si parentes facto promisso se non amplius opponant, tenentur in conscientia illud implere; si vero se opponant, promissum est nullum, cum non fuerint sui juris, licet facto promisso fornicationem commiserint; ita quidem ut Vincentius non possit ullo modo exequi promissionem Sebastianæ factam, quamdiu sub alterius est potestate. Nihilominus tenetur ex justitia & ratione scandali implere suum promissum, quamprimum attigerit ætatem a lege requisitam; si illi, quorum potestati subjacet, ante hoc tempus denegent consensum. *Pontas.*

NOTA. Extra Galliam, ubi reperitur lex irritans talia sponsalia, ea non sunt invalida.

CASUS XXII. Protasius Lucie desponsatus contra datam fidem contraxit nova sponsalia cum Elisabetha, eaque juramento confirmavit.

ꝛ. Tenetur ducere Luciam non obstante promissione altera juramento firmata; cum & hæc promissio & additum juramentum sint contra justitiam Lucie debitam, & consequenter nulla coram Deo & hominibus. *Cum juramentum, inquit Innocentius III. non ut esset vinculum iniquitatis, fuerit institutum Pontas.* Vide cas. seq.

CASUS XXIII. Eduardus triginta annos natus, & consequenter sui & actionum suarum dominus, contractis cum Euphemia sponsalibus promisit matrimonium jurato Faræ, & occasione hujus cum ea peccavit.

ꝑ. Tenetur ducere Euphemiam, quam injuria Faræ illata non potest privare jure suo ex sponsalibus antecedentibus utrinque bona fide contractis acquisito. Aliud dicendum foret, si Euphemia renuntiaret juri suo ex commiseratione erga Faram summa cum infamia prostituendam, nisi nubat Eduardo. *Pontas.*

CASUS XXIV. Sylvester non determinate matrimonium promisit Mariæ, sed sub his terminis: *se non aliam duciturum nisi ipsam.*

ꝑ. Si Sylvester manere statuerit in cælibatu, non tenetur implere promissum, utpote solum terminis negativis conceptum, & in sensu conditionato prolatum; si scilicet nupturus sit, nupturum se Mariæ. *Pontas.*

CASUS XXV. Albinus pater trium filiarum unam se conjugem daturum promittit Barnabæ, qui interea peccavit cum una earum. Albinus id sciens, nondum determinavit, quam illi sit traditurus.

ꝑ. Albinus non amplius tenetur dare aliquam ex filiabus suis, & penitus solutus est a promissione facta Barnabæ, qui omni jure excidit per peccatum suum: non enim tenetur dare eam, quæcum peccavit Barnabas; quia peccatum non potuit præjudicari juri optionis, quod habuit pater. Reliquas duas non potest dare ipsi ob impedimentum dirimens, quod peccando cum sorore contraxit Barnabas. Conveniens tamen foret, ut offerat Barnabæ illam, cum qua peccavit; quia hæc difficulter repertura esset alium maritum. *Pontas.*

NOTA. Cum neutra trium harum filiarum vera subsistunt sponsalia: non enim voluntas patris, sed assensus filiæ constituit sponsalia.

CASUS XXVI. Gabinus cum Sylvia iniit sponsalia sub expressa hac conditione: si Gabinus reciperetur consiliarius in Parlamento Parisiensi. Gabinus constitutus quidem fuit consiliarius, sed in Parlamento Rothomagensi.

ꝑ. Sylvia tuta conscientia potest reculare matrimonium; cum stipulata conditio non fuerit impleta. Conditio tamen solum tacita & simpliciter subintellecta sponsalia non redderet invalida. *Pontas.*

CASUS XXVII. Palladius desponsatus est Dianæ hac conditione, ut ea hausto potu se reddat sterilem, in quod alla consenit.

ꝑ. Spon-

ꝑ. Sponsalia hæc sunt absolute nulla, nec ullam inducunt obligationem contrahendi matrimonium. Ita docent Gregorius IX. S. Antoninus & S. Thomas. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Theodebertus promisit matrimonium Paulinæ in præsentia parochi & utriusque parentum. Privatim autem declaravit Paulinæ, se nolle consentire, nisi ipsa sponderet, ad committenda furta, & negotia usuraria fidelem operam se præstituram.

ꝑ. Conditiones bonis moribus oppositæ, nisi adversentur tribus bonis matrimonii, sunt ipso jure nullæ; nec potior earundem ratio habenda est ac impossibilium. Sponsalia sub tali conditione iniata sunt valida; quia considerantur ut absque conditione & absolute iniata, dummodo non fuerit expressa intentio suspendendi consensum usque ad impletionem conditionis. Si igitur hanc intentionem Theodebertus non habuit, tenetur ducere Paulinam; etsi ea non consentiat in furta & commercium ipsius usurarium. Si autem, inquit S. Thomas in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. C. *fuit promissio sub conditione inhonesta, ut si dicam: accipiam te, si furtis meis consentias; tunc stat promissio, sed tollenda est conditio.* Idem declaravit Gregorius IX. *Pontas.*

NOTA. Author cum suis Authoribus loquitur inconsequenter: si enim in priori casu sunt invalida sponsalia, idem dicendum in præsentem; cum non solum generatio proles, sed etiam societas perfecta liberdinabilis ad finem naturæ humanæ ad substantiam matrimonii pertineat.

CASUS XXIX. Gilbertus sponsalia inerat cum Petro nulla puella eximie pulchritudinis; contigit autem paulo post, ut notabiliter deformaretur, amisso uno vel utroque oculo.

ꝑ. Gilbertus absque peccato potest resilire a sponsalibus. Notabilis mutatio sponsi vel sponsæ in corpore, in animo, in honore vel in bonis fortunæ est sufficiens ratio dissolvendi sponsalia, omnis enim mutatio superveniens sponsalibus, quæ si prius extitisset, impedisset sponsalia, tollit omnem obligationem juxta hoc principium generale, quod quilibet ad contrahendum matrimonium se obligans, semper ea conditione se obliget, nisi personæ, cui fides obstringitur, notabilis superveniat mutatio. Si cogentur personæ in ejusmodi circumstantiis ad matrimonium, effectus sane infau-
stissimi timendi forent. Notandum, non omnem deformitatem supervenientem sponso æque sufficere ad solvenda sponsalia, ut sufficit deformitas superveniens sponsæ; quia non ta exquiritur pulchritudo in sponso, ut in sponfa. Si tamen deformitas sponsi adeo esset notabilis, ut magnam spon-